

---

 LIBRI QUINTI ARGUMENTUM.
 

---

*HEISTORIA.* Invidiâ atque Irâ Genus humanum ad æmulationem bellumque provocatum, mutuis sese cladibus conficit, & alter alteri hostes est, postquam Deo rebellare cœpit.

*POESIS.* Sarcotheæ Tutatrix adversus hostiles filiarum machinationes, Invidiam tristi Noctis in antro habitantem, atque à Cupidine contra se incitatam aggreditur, illamque in aulis juxta atque hominum vulgo grassantem, sola armorum ostentatione, per contemptum magis quam vi profligat, ex sublimi contra illam monte pugnans. Quæ res Iram, indignatione magna in Areten concepta, excivit, cum ferocium hominum exercitu passim totam Sarcotheæ possessionem invadentem. In privatas illa familias per Injuriam, Violentiamque, Diffensionem induxit, in Respublicas bella civilia, Regna inter se commisit, & Urbes, fœdis depopulationibus excidiisque vastandas. Ipsos in se invicem armatos homines magnis cædibus, stragibusque collisit, Arete pro Sarcotheæ defensione nequicquam obnitente; quanquam hæc ipsa denique in Iram arma detorserit, unde turpiter excœcata, furore tamen indomito etiamnum Sarcotheam persequitur.